DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE DYSENTERIA

COMPLECTENS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER FRASER M'LAUCHLAN,
Scotus,
COLL. REG. CHIRURG. EDIN. PERMISSUS.

Πολλὰς δ'ἰφθίμους ψυχὰς ἀΐδι προΐαψεν
Ἡρώων.

HOM. ILIAD, Lib. i. p. 1.

Calendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXXII.


LIBRARY

CONSANGUINEO SUO

Affleck Fraser,

DE CULDUTHEL

IN AGRO INVERNESSIENSI

ARMIGERO,

VIRO, HAUD MINUS AMICIS

QUAM ALIIS CONCIVIBUS,

OB VIRTUTES MULTAS MORUMQUE COMITATEM

DILECTO,

HOC OPUSCULUM

QUALECUNQUE SIT,

ANIMUM

OFFICIORUM IN SE COLLATORUM

HAUD IMMEMOREM, TESTATURUM

INSCRIBIT DICATQUE

AUCTOR.

AVUNCULO OPTIMO

REVERENDO VIRO

Donaldo Fraser,

ECCLESIÆ DE KIRKHILL

APUD EOSDEM FINES

PASTORI,

STUDIIS HUMANITATIS

ÆQUE AC

PIETATE IN DEUM ORNATO,

HAS CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS,

SUMMA CUM OBSERVENTIA,

DICAT

SORORIS FILIUS.

PATRI SUO CARISSIMO

REVERENDO VIRO

Jacobo M'Lauchlan,

ECCLESIÆ DE MOY

IN COMITATU INVERNESSIENSI

PASTORI;

PRÆCEPTORI OPTIMO,

QUI

AD SCIENTIAM FACIENDAM

EI VIAM CURAVIT,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

OMNI QUA DECET PIETATE,

SACRAT

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUÆDAM

DE DYSENTERIA

COMPLECTENS.

AUCTORE ALEXANDRO FRASER M'LAUCHLAN.

Dysenteria, ex variis morbis quibus corpus humanum obnoxium est, attentionem medici inprimis sibi vindicat, licetne enim in his terris, mitis et rara quidem sit, tamen in regionibus calidis valde frequens et lethalis fit. Nec sexui nec ætati parcere videtur, magis tamen militibus nautisque infirmis, causis ejus remotis obnoxiis, quam aliis infesta est. Nullo morbo urgente maturius agen-

dum, nam ad exitum infelicem aliquando tam rapidè festinat, quod, medico invito, ægrum citò e medio tollat. Ineuntem circitèr æstatem, plerumque sese ostendit, et per hoc tempus autumnumque sævire perstat. His tempestatibus, in regionibus calidis, febres remittentes et intermittentes, malaque hepătis plerumque comitatur.

Dysenteria aliquando typhi symptoma hujus aliarumque regionum nobis obviam venit; et dum res ita se habet, hujus morbi periculum maximè auget.

His perpaucis propositis, hunc morbum definire, dein de ejus Historia, Causisque proximis ac remotis, Diagnose, Prognose, Rationeque medendi tractare singulatim conabor.

DEFINITIO MORBI.

Celeberrimus Cullen Dysenteriam sic definîit. "Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosæ, vel sanguinolentæ, retentis

plerumque fæcibus alvinis; tormina; tenesmus." Sed quoniam hujus propositi initium, videlicet, "Pyrexiam Contagiosam" novissimi auctores multum dubitant, et fallax, plerique artis medicæ cultores existimant; hic quærere, quomodo de hac re, inter auctores et praxeos medicinæ eruditos, tanta discordia esset, pretium sit operæ. Prout mentionem facere, de variis auctoribus, qui, de hac re, sententias dispares protulerunt, mihi valde inane apparet; observationes paucorum, suis verbis producere, certè mihi satis erit. Doctor Heberden, sic de hoc morbo animadvertit: "Quandoqui-"dem morbus aere castrorum impuro nasci-"tur; et *contagione*, cum aliis communicatur."* Et physicus præclarus Johannes Pringle Eques, qui medicinam apud exercitum multum excoluit, (contagione hujus morbi Nimeguenis anno 1736 memoratâ,) hæc verba refert. "In camp the contagion passes from one

* Vide Guil. Heberden. Comment. de Morb. Curat et Historia. Cap. 31.

" that is ill, to his companion in the same tent, " and from them perhaps to the next." Tamen hic auctor alibi adscribit; " The disease is " not so catching as most of the contagious " kind."* Contra, plerique chirurgi militares et classiarii, hoc tempore, (qui in locis Dysenteriæ valdè obnoxiis medicinam exercent,) eam contagione non grassari, una voce sentiunt. Dominus (nunc Doctor) Johnson, vir summâ scientiâ, dum de hoc morbo sciberet, ait, "And " does Mr Curtis still labour under the error, " into which the venerable Cullen was led, by " trusting to the observations of others? the " opinion is scarcely worth alluding to; for " no practitioner of the present day, who has " seen the disease between the tropics on a " large scale, and who can think for himself, " and dares to avow his sentiments, entertains " a doubt about its *non-contagious* nature."†

---

* Vide Sir John Pringle, on the Diseases of the Army, Cap. 41.

† Vide Johnson, on the Influence of Tropical Climates on European Constitutions, Pag. 363.

A tantâ discordiâ inter sententias supra memoratas, inferendum est, aliquos in his affirmandis vel errasse, vel morbum non satis vidisse. Nunc, a variis quæ vel audivi, vel de hoc morbo legi, mihi certè apparet, admodum venerabilem Cullen (cum Johanne Pringle Equite, et scriptoribus vetustioribus,) hic non accuratè scripsisse: et hanc sententiam ob causas sequentes vindico.

I. Quia fere omnes medicinæ cultores in plagis tropicis, Dysenteriam contagiosam non fieri, unâ voce sentiunt.

II. Annon possent Johannes Pringle Eques et Doctor Cullen, in morbo secundario pro idiopathico habendo, errasse? et non satis crevisse, eos quos viderunt, Typho Dysenteriâ comitato laborasse; quod in aliquibus hujus morbi epidemicis his aliisque terris grassantibus aliquando evenit? Vel morbus, quem viderunt, et contagiosum existimarunt, possetne, ægris omnibus iisdem causis remotis objectis, epidemicè et non contagiosè instituisse?

III. Dysenteria idiopathica, (paucis exemplis testimonio proditis exceptis,) in oppidis magnis, et terris populo frequentibus, perraro epidemicè grassatur.

IV. Viri meritò præclari, medicinam practicam in hâc academiâ docentes, mihi auctores sunt, ut chirurgis militaribus hoc tempore confiderem, et hujus morbi naturam contagiosam negarem.* Ob has varias causas, " Pyrexiam Contagiosam," nullam dysenteriæ partem futuram esse, sentio. Quod de hac definitione restat valde accuratum est.

Doctor Cullen, quamvis in ejus " First Lines, &c." de hac re disseruisset ; tamen in " Nosologiâ Methodicâ" definire dejectionem ab intestinis, Dysenteriæ acutæ sequelam, neglexit. Hanc novissimi auctores nominant Dysenteriam Chronicam ; ad cujus definitionem dandam conabor. His propositis, hujus morbi duæ species sic definiendæ sint, viz.

---

* Prælectiones de medicina *practica* in hac academia, Anno 1820–21, cito.

I. *Dysenteria Acuta.*—Pyrexia; dejectiones frequentes, mucosæ, vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis; tormina; tenesmus.

II. *Dysenteria Chronica.*—Dysenteriæ acutæ sequela: fæcibus alvinis non retentis; dejectiones frequentes, maximè solutæ, Diarrhœæ similes, sed excretionibus Dysentericis commistæ, et torminibus tenesmoque comitatæ.

HISTORIA MORBI.

Dysenteria *Acuta,* a localibus signis sæpenumero primo incipit; tamen contrà in regionibus calidis, febrilibus aliisque signis totum systema turbatum indicantibus, ægros aggreditur. Dum res ita se habet, tempore non definito, sed plerumque intra viginti quatuor horas, postquam æger remotis causis obnoxius fuerit, horrorem cum ruboribus alternantem, per totum corpus sentit. His succe-

dunt languor, lassitudo, anorexia, nausea sæpeque vomitus; æger dolorem et abdominis molestiam, æquè ac desiderium alvi dejiciendæ sentit; sed nihil præter mucum dejicit. Paulatim febris intenditur, ægro est arida contractaque cutis, pulsus frequens plerumque durus, calor auctus, sitis, summaque irritabilitas. Desiderium alvi dejiciendæ frequentius evadit, et tormina comitantur; nihil præter mucum vel mucum sanguine commistum, vel fortè fæces duratas, sub scybalorum formâ apparet. Hoc tempore, morbo idoneis remediis non suppresso, febris celeriùs progreditur, eamque major sitis comitatur. Cupiditas alvi dejiciendæ adeo acerba fit, ut æger foricam haud relinquere possit. Nunc dejectionem torminibus tenesmoque maximè dolorosis comitantibus, vix aliquid nisi liquidus sanguis apparet. Ultimò delirium nocte supervenit; sed sæpe ante hoc morbi tempus adest; pulsus tenuis, debilis, atque frequens fit, magnaque sitis aliquando levatur; æger maximè debilis sibi alvum dejicienti auxilium quærit;

eodem tempore dejectiones fætidissimæ fiunt; et nunc pus vel pus sanguine mistum vel (sicuti aliquando evenit) colonis ipsius partem reddit. Delirium augetur; dolor subitò levatur; æger dolore se vacuum sentit, et mox sanari putat; quum sudor auctus, omnia Hecticæ signa, oculorum fulgor, faciesque cadaverosa, fatale exitium ei statim afferant.

Etiamsi ratio Dysenteriæ *Acutæ* quam jam reddidi, me judice vera sit; tametsi inter gradum numerumque symptomatum tam maximè intersit, ut in arctis terminis, quos mihi posui, ea omnia vix animadvertere possim; tum mihi satis erit, nonnullas varietatum notare.

In hâc terrâ, symptomata febrilia, nequaquam tam valdè urgent, nec quidem tam perspicuè apparent; pulsus magis debilis, lentus, et haud tam frequens evadit; nec signa synochæ talia manifesta sunt, qualia in plagis tropicis. Febris, quæ hunc morbum in regionibus calidis comitatur, (Cullen auctore) intermittens vel remittens est, eodem tempore cu-

tis magis arida contractaque, ac respiratio magis accelerata fit, quam in Dysenteriâ hâc terrâ grassante. Dysenteriæ Orientali plus etiam anorexiæ, nauseæ, et vomitus, unà cum linguâ sordidâ flavâque accedunt; quæ omnia indicia, functiones naturales maxime turbatas esse, monstrant. Intestinorum dejectiones, in hac terra vix unquam excretionem muci, vel muci sanguine commisti transcendunt; dum in regionibus calidis alvi excretiones penitus sanguinolentæ sæpeque bile vitiatâ commistæ apparent; eodemque tempore sæpe cutis oculorumque supervenit flavedo.

Dysenteria *Chronica.* Morbus, subactâ idoneis remediis Dysenteriâ *Acutâ,* sæpè *Chronicus* evadit; quanquam pulsus frequens, calor magnus, aliaque symptomata febrilia cessaverint; adhuc anorexia, nausea, flatus, vomitus aliaque signa dyspeptica remanent, sæpeque augentur. Æger, dum dejiciat, dolorem tenesmumque sentit; ac fæces liquidas quanquam plerumque muco, sanguine, aliisque excretionibus dysentericis commistas reddit. At-

tamen hæ excretiones dysentericæ quamque dejectionem non semper comitantur; sed, ægris interim fæces naturales reddentibus, intervallis plus minusve definitis redeunt. Aliàs æger pus vel fæces pure commistas dejicit, et dum res ita se habet temporibus definitis copiosè sudat, vires franguntur, urina sedimentum lateritium deponit; ad summum, omnia hectica symptomata superveniunt, quæ medico invito, citò ægrum ad orcum demittunt.

SECTIO CADAVERUM.

Abdomine mortuorum Dysenteriâ patefacto, in regionibus calidis, aer ingratus studium ad sectionem conferentibus magnum fastidium afferens, e corpore ruere animadvertitur; quod, sectionum numerum, ad Pathologiam hujus morbi confirmandam, magnopere impediebat.

Omentum incrassatum sæpe intestinis adhærescens invenitur; etiamque rubrum et sine

dubio inflammatum apparet; aliquando tamen sanum, et sine aliquibus inflammationis indiciis evadit. Intestina vel rubra, et penitus inflammata plerumque inveniuntur; vel superficies interna hìc et illìc maculis inflammatis rubris aliquando aspersa, deinde lymphi exudatione tecta, nobis obviam venit. Sæpe inter se et omentum adhæsiones formant; et ægro dysenteria *chronica* mortuo, in partibus diver sis ulcerationes videntur; eodem tempore per totum tubum, sed præsertim colon, varias stricturas fæces duras complectentes intuimur. Aliquando, in Dysenteriâ *Chronicâ*, intestini pars exulcerata dejicitur. Perpauca alia viscera, præter hepar, splen, ventriculumque, turbantur. In plagis æstuosis jecur aliquando nigro sanguine turgidum, deinde ulcerationibus consumptum invenitur.

Hæc inter sectionem abdominis plerumque apparent, sed in his magna varietas observatur.

CAUSA PROXIMA.

De Causa vera Proxima hujus morbi, nequaquam inter pathologos constat; hinc fit, intestinorum inflammationem, et stricturam, vicissim veram causam habita fuisse: etiamque sæpe evenit, juvenem studiosum, eadem medicinæ Academia, diversis temporibus, doctum fuisse, hunc morbum aliquando enteritidi, aliquando hepatitidi affinem ducere. Hoc certè ægrè ferendum est, morbum enim ad sanandum, hujus causam veram proximam, magni momenti est confirmare.

Quamvis sine dubio, Dysenteriæ intestinorum et inflammatio et strictura plerumque insint, attamen, ni fallor, de horum causa primaria inter pathologos adhuc agitur: quoad hoc, sentio Dominum Johnson, qui perspirationem restrictam morbi causam primariam proximam existimat, rem rectè tenuisse. In Dysenteriä igitur, vasise xternis superficiei cutis corrugatis, perspiratio cutanea coercitur; quod tes-

tantur omnia symptomata initio morbi conspicua, viz. horrores quibus succedunt magna sitis, arida contractaque cutis. Extremis vasis sic constrictis, circuitus equilibrium amittitur; sanguis ab externis ad internas partes transit; inde, in regionibus calidis præsertim, oritur magna vasorum mesenteriæ ac venarum portarum plethora. Excretione naturali per vasa cutanea sublatâ, intestina vicario munere fungi oportet; inde mucus, vias naturaliter protegens, majore copiâ justo secernitur. Eodem tempore a magna plethora internarum partium intestinorum sæpeque jecoris inflammatio incipit.

In intestinis major vis sanguinis, ad mucum secernendum, ministratur; et æger dum dejicit vas sanguinem vehens sæpe perrumpit; morbo tamen progrediente, ac plethorâ auctâ, vasa apud partes internas sanguine adeo turgida fiunt, ut ultimo perrumpantur; hoc modo excretiones sanguineæ omnino videntur.

A jecinore turbato, intestina nihil fellis ac-

cipiunt; donec tandem vis medicatrix naturæ, spasmum ductum hepaticum corripientem, removeat, quod, profluvium vitiatæ bilis (quasi plumbi liquefacti per intestina ægri profluentis,) producit.

Plethora vasorum per intestina serpentium persistente, fæces, si aliquæ in his permanserint, inclusæ, tunicam musculosam vel fibrosam, in contractionem spasmodicam excitant, quæ, hoc modo eas arctè complectens, varias stricturas supra memoratas gignit. Tormina ac tenesmus, quæ in hoc morbo tam valdè urgent, spasmodicis contractionibus intestinorum irritatorum sine dubio oriuntur.

CAUSÆ REMOTÆ,

Hujus æque ac aliorum morborum, in causas excitantes, et prædisponentes naturaliter distribuuntur.

I. *De Causis Excitantibus.*—Doctor Cullen, dum de Dysenteriâ scriberet, contagionem specificam, verisimilitèr esse solam hujus morbi causam excitantem, intulit. sed quoniam de hac re, in definitione morbi disserui, hanc disputationem amplius inire non me oportet.

Plerumque inter medicos constat, frigus, aliquando humori junctum, postquam æger magno calori obnoxius fuerit, hujus morbi causam excitantem generalem fieri. Hoc quidem experientia confirmat, nam, (quod in præfando supra memoravi) Dysenteria, æstate et autumno magis quam hyeme et vere grassatur; et hujus ratio clarè apparet, viz. his temporibus, perspiratio cutanea magnopere excitatur, igitur, quo magis frigore cohibetur, eo magis sequelæ (pro ratione prioris excitationis) urgent. Etiamque apparet, frigus post calorem fieri hujus morbi causam excitantem generalem, quia morbus, apud milites et nautas (qui omnium mortalium cœli vicissitudinibus plurimum obnoxii sunt,) mag-

nas clades edit. An frigus sola Dysenteriæ causa excitans sit, certè in dubio est. Aliqui auctores, calorem solum, miasmata paludum, putrida effluvia fæcum, ac edendum nimis acrem fructum esse alias causas excitantes hujus morbi asserunt: sed dubito annon melius hæc omnia, inter causas prædisponentes, enumerari possint.

II. *De Causis Prædisponentibus.*—Aliquid intestina irritans, ægro causis excitantibus objecto, hujus morbi causa prædisponens fiat; viz. alvus diu astricta; hypercatharsis, purgantium præsertim acrium intempestivo usu, oriens: Omnia ingesta, quæ intestina, ventriculumque nimis stimulant, exempli gratiâ potus communis incolarum Indiæ et Sinæ, et cætera causas remotas Dysenteriæ adjuvent. Præter hæc, Dominus Bampfield scribit, diuturnam habitationem, in plagis intertropicis, ad hunc morbum prædisponere.*

* Vide Bampfield on Tropical Dysentery.

DIAGNOSIS.

Diarrhœa; Enteritis; Cholera; Colica; ac Typhus Dysenteriâ comitatus morbi sunt, qui cum Dysenteriâ Idiopathicâ confundi possunt.

Diarrhœa mucosa, ac hepatirrhœa species hujus morbi sunt, quæ Dysenteriæ maximam similitudinem habent, sed (ni fallor) ab eâ sine dubio indiciis sequentibus dignosci possunt. Diarrhœam, nisi dum valdè urget, nunquam febris comitatur; sed quandoquidem semper febris Dysenteriæ indicium est. Dejectiones in diarrhœa quamvis excretione muci comitante, tamen fæcibus solutis semper constant; Dysenteria, scybalis exceptis, fæces nunquam ostendit. Præter hæc symptomata perspicua, tormina tenesmusque vehementia, nausea ac vomitus contingentia, quæ Dysenteriam comitantur, morbum sine dubio indicant.

Enteritis, post diarrhœam, morbus Dysenteriæ simillimus est; ac quidem confitendum est, hunc morbum, ab Enteritide *Erythemati-*

ca, aliquando distinguere, valdè difficile esse; sed, ni fallor, sequentibus indiciis discerni potest. Quamvis symptomata hujus speciei, haud tantum patent quantum in Enteritide *Phlegmonodea;* tamen pyrexia plerumque typhoides, dolor pressione auctus ac circa umbilicum torquens, morbum generis Enteritidis indicant; sed præsertim excretionibus propriis Dysenteria ab utralibet specie hujus morbi dignosci potest. Enteritidi *Phlegmonodeæ* magna constipatio plerumque inest, quarè nulla singularis excretio apparet, quod morbum sine dubio ostendit; sed Enteritidi *Erythematicæ* adest diarrhœa, tamen vel muci sanguinisque excretio, vel alia Dysenteriæ indicia haud comitantur.

Diuturna et vehemens purgatio ac vomitus biliosus, quæ Dysenteriæ perraro adsunt, Choleram sine dubio indicant; sed spasmi musculorum crurum ac partium aliarum corporis, hunc morbum clariùs distinguunt.

Alius morbus qui cum Dysenteria confundi potest, Colica est; sed inter eos Diagnosis

tam clarè apparet, quam inter morbos quos tractavimus suprà. Quamvis utrique morbo insunt dolor abdominis, ac vomitus, quibus sensus plenitudinis et molestiæ antecedunt; tamen "alvus astricta," scilicet ullius excretionis absentia, Colicam a Dysenteria, cujus excretiones mucosæ vel sanguinolentæ symptomata singularia sunt, clarè distinguit.

A variis casibus quibus symptomaticé inest, valdè difficile est Dysenteriam *Idiopathicam* distinguere, exempli gratiâ, dum typhum hujus regionis, ac febres remittentes vel intermittentes regionum calidarum comitatur. Nihilominus, de hâc re, regulâ speciali nobis gubernandum est: videlicet quocunque symptomata febrilia ac febrilis anxietas, clariore luce apparent, ac attentionem medici magis quam symptomata Dysenterica sibi vindicant, tum Dysenteria symptomaticé et non idiopathicé sese ostendit, et vice versa: etiamque si Dysenteria contagiosè grassari videretur, tum typhisymptoma adesse credo.

PROGNOSIS,

In hoc æquè ac in plurimis aliis morbis, ægri ætati ac sexui, regionis cœlo, ac variis morbo penitùs alienis aliquatenus plerumque nititur. A variis quæ supra memoravi, clarè apparet, prognosin magis infaustam dandam esse, dum morbus calidis regionibus, quam his aut aliis plagis frigidis inesset; profecto, de ægrotantibus dysenteriâ in Europæâ, prognosin felicem plerumque dare possumus; sed dum morbus, ægros etiam validissimos in regionibus calidis aggredatur, prognosis semper in dubio est, ac plerumque secundum absentiam, vel præsentiam, diuturnitatem, ac reductionem propriis remediis aliquorum symptomatum, regenda est. Si febris, pulsu duro, frequentique, vel contra debili exili comitante vehementèr instet; si arida et contracta cutis, magnaque sitis, adsint, prognosis cautè dicenda est: si ad hæc, dejectiones excretionem muci transcendant; si muco sanguine com-

misto, vel excretionibus omnino sanguinolentis constent, prognosis valdè infausta apparet. Si dejectiones admodum fœtidæ, et flavo colore fiant; si magna tormina, ac tenesmus, delirium, et anima fœtida adsint; si æger febre hectica consumptus, nihil, præter pus, vel pus sanguine mistum, reddat, prognosis admodum infelix danda est.

Tamen si contrà symptomata febrilia minus urgeant; excretiones muco tantum constent; si nihil delirii, vel icteri, minimum tenesmi, ac torminum, linguæ squaloris, et animæ fœtidæ adsit; prognosis debet esse admodum felix, et cum confidentiâ dari potest.

In Dysenteriâ Chronicâ, prognosin valdè infaustam, nos dare oportet. Quanquam enim symptomata minus vehementia, initio morbi videantur, tametsi profluvia diuturna ac immodica, febre hectica comitante, brevi tempore, ægrum ad orcum demittunt.

RATIO MEDENDI.

Rationem medendi, quæ in hoc morbo persequenda est, quam paucissimis tractare tantum mihi restat. Quoniam Symptomata Dysenteriæ brevi tempore valdè vehementia evadunt, et nisi repressa plerumque lethalia fierent, magni interest medicum remedia idoneo tempore adhibere.

A variis, quæ jam memoravi, dum de causis proximis scriberem, mihi clarè apparet, saltem duas vel tres indicationes medendi, huic morbo inesse, quas medicus semper animadvertere debet :

I. Medicum operam dare oportet ; quo spasmum, et vasorum superficiei cutis constrictionem, removeat.

II. Quo plethoram apud partes internas abducat ; et inflammationem hepatis, tunicæque internæ intestinorum, hâc plethorâ orientem, domet.

III. Quo excretionem muci coerceat, ac intestinorum constrictionem discutiat.

Ad has indicationes peragendas, variis remediis, aliis temporibus, alii medici usi sunt. Et quidem non alter morbus est, de cujus ratione medendi, inter medicos tanta discordia est. Missio sanguinis; hydrargyrus; ac medicamenta quæ sudores eliciunt, vomitum excitant, alvum solvunt, spasmos depellunt, et vasa astringunt, huic morbo maxime conveniunt; de his quam paucissimis singulatim tractare conabor.

De *Diaphoreticis.*—Si quod exposuissem de causa proxima, etiamque de prima indicatione medendi, accuratum sit, Diaphoretica, in hoc morbo sanando magni momenti futura esse, mihi clare apparet. Hoc magis perspicuè patebit, si frigidum ac viscosum sudorem, sæpe initio morbi cutem perrumpentem, notemus: quod, nisum vis medicatricis naturæ, ad spasmum vasorum superficiei cutis abjiciendum, putarem. Primo dysenteriæ gradu,

dum magnus calor, sitis, et arida contractaque cutis sese ostendant, hæc medicamenta præsertim postulantur. Ipecacuanhâ (quam aliqui specificam in hoc morbo existimant) sub formâ pulveris simplicis, ad grana tria vel quatuor, vel (quod meliùs sit) sub formâ vini ipecacuanhæ crebro repetitâ utamur. Sed eorum utrique, pulvis ipecacuanhæ et opii, anteponendus est: quem, portionibus propriis tertia vel quartaquaque horâ repetitum, et confectione aromatica conjunctum, æger capiat. Antimonii præparationes, præsertim medicamentum olim Anglice appellatum, "Cerated glass of antimony," Johannes Pringle Eques multum laudavit: sed oxydum antimonii cum phosphate calcis datum portionibus, usque ad nauseam producendam, optimum hujus remedii præparatum ad perspirationem excitandam, in morbis febrilibus videtur. Semicupium vel balneum calidum, hoc modo veresimiliter in corpus agens, diaphoretica adjuvet. Hæc remedia cum purgantibus invicem utenda sunt.

De *Emeticis.*—Emetica in sudoribus eliciendis, huic morbo maximè prodesse videntur. Necnon, concoctione turbata, (ut in hoc, æque ac in aliis morbis febrilibus, tam sæpe evenit,) ad propriam ventriculi actionem promovendam, hæc medicamenta plurimum valent. Anorexia ac nausea medicamenta hujusmodi generis desiderant, presertim dum lingua sordida, crustâ albâ vel coloratâ tecta, anima fœtida, aliaque symptomata, functiones naturales turbatas testentur. Vinum tartratis antimonii aut pulverem ipecacuanhæ, usque ad vomitum excitandum, medicus adhibeat.

De *Missione Sanguinis.*—Quamvis, de usu hujus remedii ad hunc morbum sanandum, inter medicos præclaros magna discordia sit, tamen ob causas sequentes magni momenti esse existimo.

Si quod exposuissem de causa proxima, ac historia dysenteriæ accuratum sit, me judice magnam plethoram vasorum internorum, æque

ac, inflammationem tunicæ intestinorum villosæ, huic morbo sine dubio inesse apparet; et rebus ita se habentibus, possetne melius quam missione sanguinis, hæc plethora removeri? Domi forisque, multi medicinæ cultores, hanc praxin dehortantur, ac missionem sanguinis, in Dysenteria orientali curanda, (cui maximè prodesse videtur,) errorem perniciosum existimant. Ad hanc sententiam vindicandam, duas causas sequentes proferunt: Primo, missionem sanguinis apud Indiam Orientalem vires tantum frangere, quod postea cœlum, ægrum posse delere verentur. Secundo, febre dysenteriam comitante, versus finem morbi typhoide existente, missionem sanguinis, apud aliquem gradum ægro maximè nocere. Primam eorum causam, citando auctores varios, qui apud Indiam orientalem et occidentalem, medicinam exercuerunt, omnino negemus;* porro Domino Bampfield auctore, sæpe evenit, ut peregrini, (qui Indiam culturi sunt,) mis-

* Opera Prosp. Alpini, T. Young, Sommerville, Johnson, Hillary, Ballingall, ac Bampfield perlege.

sione sanguinis, purgantibus, ac regimine antiphlogistico utantur. Secunda causa quamvis longe speciosissima, tamen monstrare sequelas infelices, missione sanguinis orientes, me judice, deficit: enim primis synochi gradibus, (cujus symptomata febrilia, pyrexiæ dysenteriæ admodum similia sunt) nullum remedium magis prodesse videtur; quamvis febrim postremo typhoidem evadere, pro comperto habeamus. Præceptis unius eruditorum, qui medicinam practicam in hac academia docet, in hoc negotio promptè parerem; videlicet ut quandocunque symptomata febrilia missionem sanguinis postulent, venæsectio fieret; ac sine forma pyrexiæ sequentis observanda.† Tamen sanguis sine discrimine, et quum symptomata ostendunt missionem valde inutilem fore, in hoc aliove morbo haud nobis detrahendus est. Si febris, delirio et debilitate comitantibus morbi principio typhoides adsit, tum nos hoc

* Vide Bampfield on Tropical Dysentery.

† Audi prælectiones de Medicina Clinica in hâc academiâ Professore Roberto Graham.

remedium evitare oportet. Sed e contrario, si febris intendatur, duro frequentique pulsu, arida contractaque cute, magno calore, urinâ rubrâ, excretionibus e muco sanguine misto constantibus, vel omnino sanguinolentis, torminibus magnis, tenesmoque comitata, tum sanguis sine dubio nobis mittendus est. De hoc verba Domini Bampfield rectè citem. "I am "fully persuaded," ait, "that death will not "only be a less common consequence of dy-"sentery, if bleeding be more frequently em-"ployed, but that we shall not hear of so "many dissections, which disclose abscesses of "the liver, intestinal investments, and epi-"ploon, ulceration, and other consequences of "inflammation."* Quoad quantitatem sanguinis detrahendam, ætati viribusque ægri, et signis instantibus semper nitendum est. Homini adulto, xx vel xxx oz. in prima venæsectione, plerumque eliciendæ sunt; et missio, usque ad viij vel x oz. quantum res postulent,

* Vide Bampfield on Tropical Dysentery, page 113.

repetatur. Nonnunquam utile erit sanguinem ex abdomine hirudinibus detrahere, sed nequaquam tanta vi pollent quantâ missio sanguinis generalis. Propter lenitatem Dysenteriæ, hac terra grassantis, venæsectio plerumque non adhibenda est: sed etiam quum symptomata missione sanguinis opus esse indicent, nullum medicinæ cultorem desistere oportet.

De Purgantibus.—Inter remedia antiphlogistica, purgantia magni momenti sunt; et multum in Dysenteria pollent. Plethoram internorum imminuunt vasorum; intestina fæcibus duratis purgant; et morbidam in sanam muci secretionem convertunt. Equidem huic morbo tam citò occurrunt, ut fere summa sint remedia, ab Europæis medicinæ cultoribus adhibita, etmissione sanguinis, enematibusque opiatis comitantibus, vix unquam morbi sanationi in hac terra desunt. Purgantia eligenda sunt sales medii, videlicet, magnesiæ sodæve sulphas, potassæ vel potassæ et sodæ tartras: utrumvis eorum rosarum vel sennæ

infusionibus soluta adhibeatur, et secundâ tertiâve horâ, donec fluat alvus repetatur; oleum ricini quoque in Dysenteria eximium purgans est, medicinæ enim pars, dum alvum solvat, non disjuncta præterlabitur, vias lubricat, easque ab irritatione fæcum duratarum tuetur. Dum in regionibus calidis alvus difficilius ducatur purgantibus magis efficacibus nempè hydrargyri submuriate, vel rhei vel jalapi pulvere commisto, vel quod fortè præstat, pulvere antimoniali opus est. Equidem multum proficiet, veluti supra memoravi, dum de Diaphoreticis scriberem, si purgantia his conjuncta partitis vicibus adhibeantur. Ipecacuanha (quam aliqui specificam habent,) alvum ducendo, huic morbo prodesse, a Doctore Cullen putatur.

De Hydrargyro.—In historia Dysenteriæ scribenda, talia symptomata, qualia bilem dejectionibus, et icterum cuti adesse notavi; quæ secretionem jecoris auctam fortèque vitiatam indicant; mala hepatis hujusmodi ge-

neris, quandocunque apparent, præterquam dejectiones dysentericas, suis idoneis remediis vincenda sunt. Hydrargyrum, actionem quasi singularem, huic visceri intendere cognoscitur; hæc actio, an stimulans sit, an non, haud inter medicos constat. Hoc medicamentum, quo melius ejus actio singularis paretur, vix unquam, in hoc morbo adhibetur, nisi in regionibus calidis, quorum cœlum ad inflammationes hepatis naturaliter pertinet; sed nullo hujus glandula malo existente, in his ac aliis terris, hydrargyrum dysenteriæ maxime prodest. Hoc remedium, in India orientali et occidentali, duobus modis apud medicos ministrari solet: primo portio usque ad scrupulum submuriatis simul datur; quanquam in his terris medicinæ cultores hunc modum nesciunt, attamen Domino Johnson auctore, in regionibus calidis magna vi pollet; secundò hydrargyrum more solito apud medicos in his terris adhibetur; videlicet æger pil. Hydrar. unam mane et vespere, vel submur. Hydrargyri gr. iij. cum opii gr.ss omni mane

capiat; eodemque tempore cutis, quo citius saliva fluat, unguenti hydrargyri semidrachma mane et vespere illiniatur.

Varii medici præclari mihi auctores sunt, hydrargyrum ægros hoc morbo implicitos sanasse, dum alia spem medici fefellerint; equidem illaque omnia hoc tantum adjuvare existimant. Sed non opinor, his aliis remediis quam maximè usos esse; et quo meliùs hanc sententiam vindicarem optimum commentarium medicum hâc terrâ scriptum citabo. "We "now conclude," ait, "these cursory remarks "on Mr Bampfield's Essay, by observing "that, in all works of this description which "we have recently had occasion to peruse, "we think we perceive a gradual approach "to European principles, and European prac- "tice, in the treatment of tropical diseases; "the lancet is becoming more fashionable, "and mercury less so. No one, we presume, "will accuse us of entertaining those bigot- "ted prejudices against mercury, which are

" disseminated by some practitioners of the " present day ; but if in any instance we are " inclined to differ from Mr Bampfield, it is " in the extent to which he urges the use of " this remedy ; he is perhaps, in this respect, " still too much of an Indian."*

De Antispasmodicis. Stricturam, una cum intestinorum inflammatione, huic morbo inesse sectio cadaverum clarè demonstrat. Explicare conatus sum, tunicam villosam fæcibus irritatam, et in spasmodicam actionem concitatam, eas stricturas gignere. Quo melius hos spasmos discutiat medicus remediis antispasmodicis appellatis utatur ; his omnibus opium in hoc morbo solvendo præstat : sed inflammatione haud sublata, nec alvo fæcibus duratis elicita, hoc aut alia remedia astringentia ægris maximè nocerent. Sic Doctor Heberden judicat, " Postquam vis morbi transierit——Atque hâc solâ occasione cen-

* Vide Edin. Med. and Surg. Jour. No. LXVIII.

seo opium in hoc morbo tutò et utilitèr dari posse." * Tametsi medicamenta hujusmodi generis, inflammatione sublata dysenteriæ maximè prosunt; hinc enemata opiata ex oleo olivæ et decocto amyli, cum purgantibus alternata adhibenda sunt; veruntamen sine dubio dysenteriæ chronicæ majori commodo sunt. Eodem tempore abdomen lotionibus stimulantibus affriciatur, etiamque pannis laneis calidis, decocto anthemidis vel cacuminum papaveris madidis, foveatur. Hæc remedia optima antispasmodica sunt, enim dolorem abdominis, seu inflammatione, seu spasmo orientem, semper allevant; hinc in dysenteriâ acutâ curandâ maximi momenti sunt.

De Astringentibus. In his omnibus quæ vasa astringunt medici vetustiores maximam fiduciam habuerunt; veruntamen plethorâ auctâ, ac inflammatione persistente, astringentia ægris maxime nocere, omnes novissimi consentiunt:

---

* Vide Guliel. Heberden. Comment. de Morb. Hist. et Curat. p. 135.

aliquando tamen evenit tantum esse profluvium, quantum remediis aliis medicus haud coercere potest; et rebus ita se habentibus, ne debilitate ejusque sequelis æger moriatur, astringentia etiam in Dysenteria *Acuta* adhibere oportet. Opio, catechu, quercu robore, aliisque invicem utendum est. Horum aliqua simul conjuncta, clysteris adhibita, et purgantibus alternata, huic morbo sine dubio prosunt. Quod de his restat, ad Dysenteriam *Chronicam* refero, quam nunc paucissimis tractare conabor.

Dysenteria *Chronica.* In medendo dysenteriam chronicam, medicus operam dare debet, quo profluvia immodica ac symptomata dyspeptica, quæ in hoc morbi statu tantum urgent, amoveantur. Remedia quæ ad primam indicationem complendam valent, sunt præcipuè quæ vasa astringunt, quorum sine dubio opium longe utilissimum est; quippe quod non tantum fluxum reprimat, sed simul irritationem intestinorum, æquè ac tormina tenesmumque quæ ægrum tam magnoperè cru-

ciant, multum leniat: Hoc medicamentum formâ enematis exhibitum, et etiam cum catechu, kino, aliisque astringentibus conjunctum, maximum affert ægro solamen. Electuarium catechu compositum, inter optima astringentia haberi meretur, igiturque dysenteriâ *chronicâ* laborantibus summo cum beneficio dari potest. Prodest etiam dum his remediis astringentibus utimur, subinde alvum ducere, quo meliùs functiones intestinorum ad actionem naturalem restauremus.

Quod ad symptomata dyspeptica, quæ hunc morbum comitari solent, pertinet, hæc amoliuntur varia antacida, aliaque medicamenta quæ ventriculum roborant; qualia sunt rheum palmatum, gentiana lutea, omniaque amara. Ad vires corporis auxiliandas, quæ febre hectica urgente tam delabuntur, cinchonâ, ferri præparatis, aliisque tonicis est sedulò utendum; quo melius enim æger sustinetur, diæta nutriens his conjuncta maximè prodest.

Atque hæc quidem medicamenta sunt, quæ medici ad hunc morbum sanandum ad-

hibere solent. Veruntamen dysenteria *chronica* his aliisque assuetis sæpiùs obstat, et rebus ita se habentibus, ægro solum restat ut cœli mutationem quærat; quod quidem sæpe curationem efficit, postquam omnia spem fefellerint.

Cubiculum ægri, instante morbo, semper modicâ temperaturâ servandum est, ac aer liberè admitti debet: ratio regiminis antiphlogistici, quæ nimirùm omnia stimulantia arceat, primis morbi gradibus, quantum fieri potest, adhibenda est. Tametsi, finem versus præsertim Dysenteria *Chronica* urgente, diætam copiosam æger capiat. Omnes temperiei vices sedulò evitandæ sunt; nam morbus, corpore frigori objecto, reverti solitus est.

FINIS.